

BIBLIOTECA
"ASTRA", SIBIU

CRB

T₂ -

13¹²

LICEUL „GH. LAZĂR” - SIBIU
Biblioteca Profesorilor

No. 1945/XIII



~~8031~~ 5580

3
K

XVII/1172
~~639~~
536.

MONUMENTA

VETERIS

LEGISLATIONIS

HUNGARICAE,

quae

nunc primum detecta, ex Originalibus authenticis fideliter desumpsit, et vulgavit

JOSEPHUS, NICOLAUS

KOVACHICH.

Senquiciensis.

AA. LL. et Philosophiae Doctor.

Biblioteca Judeteana ASTRA


5580CVS



CLAUDIOPOLI.

Impress Typis Collegii Reformatorum, 1815.

8031 5580



Imprimatur.

Claudiopoli 29. Novembris

1814.

Mártonfi^{imp.}





* * * *

Olim bellorum late vastante tumultu,
Plurima quum patriæ legum monumenta perirent,
Quas summi regno proceres sanxere beando;
Multaque adhuc spissis circumvallata tenebris,
Lucifugis epulas fervarent scrinia blattis:
Sat flammis tineisque datum, sic infit ab alto,
Egregios tandem Genius miseratus alumnos,
Cui decus Hungaricæ cordi est et gloria gentis.
Haud pariar cunctis spoliari insignibus ævi
Antiqui, populum belloque domique dicorum.
Exoriare aliquis claro de sanguine vindex,
Qui consulta patrum multâ caligine testa
Perquirens, studeas optata reddere luci.
Auspicio tali vitales luminis auras
Hunniacæ charus vidit telluris alumnus,
MARTINUS, criticâ celeberrimus arte, KOVACHICH.
Excudit hic pluteos oculis vigilantibus omnes,
Quasque situs preffit chartas et longa vetustas

IV

Protrahit, et patrias illustrat legibus oras?
 Utque aliquis fieret studii successor et haeres,
 Perpetuo posset qui continuare labore
 Gratum opus Hungariae, priva sibi lege superbae;
 Imbuit excellens genitor natum arte JOSEPHUM.
 Non illo quisquam pater indulgentior, aut hoc
 Filius in patrem reverentior existit ullus.
 Fortunate parens, cui talis contigit haeres!
 Imprimisque tuo felix genitore JOSEPHE!
 Hoc dace tu sacras studiorum emensus arenas,
 Vix tribus impletis lustris, jam digna laborum
 Praemia fers, auctus titulo doctoris in arte.
 Mox comes Hungariae junctus per regna parenti,
 Carpis iter doctum, Museaque cuncta pererras:
 Ut quodcunque foret tenebris diploma sepultum,
 Eruere et dubias posses explorare lacunas.
 Proposito nostram tali delatus in urbem,
 Notitiam de te primam mihi chare dedisti;
 Continuo ut dextrae cuperem conjungere dextram.
 Huius sunt isthaec fructus *Monumenta* laboris,
 Praefulis ornantur docti quae nomine, VURUM,
 Eximias omni studio qui promovet artes,

Teque animo juvenis semper clemente tuetur;
 Cui faveat cœlum meritumque rependat honorem
 At tu progenies clari generosa parentis!
 Ista sequi semper tibi sit vestigia cura:
 Ut specioso, quo vernas, de flore juventæ
 Copia speratæ messis mox larga redundet.
 Sic tua perpetuo fulgebit fama nitore,
 Æternaque recens durabit gloria sede.

Juvenem eximiis animi ingenii-
 que dotibus et eruditione prae-
 clara ornatum, detectorem ho-
 rum Monumentorum et edito-
 rem, tali sequitur plausu, atque
 in eo patri simul, immortaliter de
 re Hungariae diplomatica meri-
 to, gratulatur,

Franciscus Szilágyi.

Claudiopoli, in
 Transsylvania,
 die 26. Decemb.

in Collegio Reformatorum Clau-
 diopolitano Historiae universae,
 antiquitatum et Lingvarum Hebr.
 Gr. et Lat. Professor.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Second block of faint, illegible text in the middle of the page.

Third block of faint, illegible text at the bottom of the page.

Illustrissimo, Reverendissimo ac Magnifico Domino Josepho VURUM, Electo Episcopo Sardicensi, Abbati natæ Regiæ Angelorum de Kompolth, Metropolitanæ Ecclesiæ Agriensis Canonico, et Cantori ——— et S. C. et R. Apost. Majest. ad Excelsum Consilium Regium Locumteneatiale Hungaricum Consiliario.

Illustrissime, Reverendissime ac Magnifice Domine Episcope! Domine mihi singulariter colendissime!

Cum Illustritati Vestrae mea erga se fiducia ita nota sit, quemadmodum mihi Ejusdem erga me benevolentia; cogitavi, quali munusculo tam gratioso Fautori ex ista Dacia gratificari possem, nullum tamen gratius futurum esse putavi, quam litterarium, cum me ad colendam litteraturam tam suaviter semper hortari dignata sit. Selegi igitur ex pluribus aliis, per me in hac Expeditione Diplomatico litteraria ex originalibus desuntis: Monumenta Veteris legislationis Hungariæ, quæ tali Viro dignissima esse putavi. Intendebat illa quidem Pater meus in suo supplemento secundo ad Vestigia Comitiorum
edere



edere, verum cum plurimis aliis obrutus id longe tardius, si supervixerit, præstare possit, et ego ipse, eorum detectionis particeps sim; constitui illa accuratissime, quantum fieri potest, edere, iisdemque Illustritati Vestræ gratificari, sperans Eandem hocce meum gratificandi studium non sinistre suscepturam. Nunquam hæc monumenta veteris legislationis Hungaricæ vel alicui nota, vel uspiam typis vulgata esse persuasum habeo, cum ea nec in ipsis Archivis ab aliis hæctenus pro Decretis Comitialibus agnita sint, ubi sub diversis titulis latent, qui nullum nexum cum textu habent. Neque Religioni duco, primi editoris eorum gloriam, volenti patri meo, opera quoque mea in similibus adjuvari, præreptam, mihi vendicasse; cum, ex illis Articulos desumptos, tum in Codice Juris Decretalis Ecclesiæ Hungaricæ, tum in altero Juris Exercitualis suis locis inseruerit, ne illos ex ignotis fontibus hausisse videatur. Ne tamen aliquis de horum monumentorum authenticia, vel plane existentia dubitare possit operæ pretium esse putavi, fontes, in quibus originalia authentica eorum conservantur, fideliter indicare:


Monumentum I. Andreæ III. Regis Hungariæ Decretum I. Anno 1291. in Comitibus Regni conditum; Transumptum authenticum coævum, in pergamena scriptum, existit in Archivo V. Capituli Ecclesiæ S. Michaëlis Al-

ſæ - Transylvanæ, hoc ego ipſe die 13. Oct.
An. 1813. cum ibi in via conſtituti eſſemus,
comportavi accuratiſſime.

Monumentum II. VVladislai I. Interregis
Hungariæ, Decretum III. cum Statibus et Or-
dinibus Regni Budæ conditum, A. 1444. ha-
betur in monte Pannoniæ in pergamena, quod
ego quidem ipſe neque comportavi neque cor-
rexi, verum pater meus, qui hoc non minus
quam ego accurate facit, deſcripſit, ex cujus A-
pographo dein ego accuratiſſime illud deſcripſi.


Monumentum III. Mathiæ I. Decretum in
Congregatione Generali in Tholnavvar A. 1463.
editum, poſſidet Originale Illuſtriſſimus Domi-
nus Comes Adamus Rhédei de Kis-Rhé-
de. S. C. et R. A. Maj. Camerarius, I. Comitatus
de Doboka Supremus Comes, qui mihi illud d.
20. April. Ao. 1814. Claudiopoli benevole con-
ceſſit, et ego eodem die ſumma fide deſcripſi.

Monumentum IV. Conſtitutio Regnicola-
rum Hungariæ in Diæta Budenſi feſti S. *Georgii*
A. 1511. celebrata, condita, qua ſub obligamini-
bus promittunt, a ſingulis portis 100. Denari-
os pro reſtauratione, et conſervatione caſtrorum
finitimorum, et 20. Denarios Regiæ Majeſtati
in rata medietate, intra duos ſequentes annos ſi-
ne defectu et difficultate ac detracta ſalariali,
exolvendos. Deſumpta ex originali authentiço
chartaceo, in Archivo Illuſtris Familiæ Libero



rum Baronum de Revva: id singulare comprehendere mihi videtur, quod sibi, prælati, Barones, et Proceres ex una, et Nobiles Regnicolæ vicissim ex alia parte, super illa observanda mutuas obligatorias dederint, ad quas in specie sibi invicem restituendas, semet in fine illius obligant.

Monumentum V. Fidejussio Prælatorum, et Baronum penes Mathiam Regem, de non exigenda contributione, est complementum alterius hujusmodi Afsecurationis, quam ipse Mathias Rex, quinque diebus antea Regnicolis dederat, et pater meus in vestigiis Comitiorum p. 265. vulgavit; utriusque originale authenticum exemplar in Archivo Regnorum Sclavoniæ et Croatiæ deprehensum. Die 26. Sept. A. 1812. propria manu descripsi, utrumque autem comportatum in meo apographo in fidem subscripsit Dominus *Joannes Zernchich* Juratus Regni Archivarius. His in Documentis pauci admodum hiatus inveniuntur, ubi temporis edacitate partim exesa foramina, partim scriptura illegibilis est, priora loca ductis lineis, posteriora punctis notavi. Quanta cum his monumentis accessio fiat ad legislationem Hungaricam, suapte patet, cum tria priora Decreta Comitialis simul sumpta, centum, et quatuor Articulos comprehendant, qui insignem hiatus, hactenus in legibus Comitialibus habitum, nec tamen observatum complent.



Rubricas Articulis horum Decretorum, a meo Genitore in usum suum præfixas, fideliter retinui, nam in exemplaribus authenticis nec in Articulos divisa, nec isti rubricis provisi sunt. Nihil igitur meriti, nisi quod mei proprii laboris est, in hoc opusculo mihi vendico. Dignetur Reverendissima Illustritas Vestra hoc munusculum a me gratiose suscipere, meque deinceps, uti hactenus fecit, sua benevolentia, complecti. qui nunquam esse desinam

Illustrissimi et Reverendissimi Domini Episcopi,

Claudiopoli 1. Maji.

Ao. 1814.

Servitor et sincerus Cultor

*Josephus. Nicolaus. Kovacich*_{mp.}

Senquiciensis.

The first thing I did was to
 go to the bank and see
 how much money I had left.
 I found that I had
 just about enough to
 get me through the
 winter. I was
 very glad to see
 that I had not
 run out of money.
 I had a very
 good time during
 the summer.
 I had a very
 good time during
 the summer.

I had a very
 good time during
 the summer.
 I had a very
 good time during
 the summer.

MONUMENTUM I.

Andreae III. Regis Hungariae.

Decretum I.

*Anno 1291. in Comitibus Regni Conditum.
Ingressus Transumentis Capituli.*

Capitulum Ecclesiae B. Michaelis Archangeli Transylvaniae. Universis Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis Salutem in omnium Salvatorem. Ad Universorum Notitiam harum serie volumus pervenire Literarum: Quod cum Dominus ANDREAS Dei Gratia Illustris Rex Hungariae, conscriptis libertatibus Nobilium Regni Hungariae antiquis, insertis etiam quibusdam Articulis de novo concessis, Eisdem Nobilibus Privilegium concesserit, et per ipsos Nobiles idem privilegium apud Nos, tamquam in loco communi, pro eo, ut recursus facilius ad ipsum habeatur, sit depositum; Nobiles praefati, per quosdam ex ipsis, Nobis supplicarunt, ut Tenorem hujusmodi Privilegii rescribi facientes, Sigillo Nostro firmari faceremus, ad hoc, ut, tempore necessitatis suae, eo uti possent. Cujus quidem Privilegii tenor talis est:

Exor-



Exordium Diplomatis Confirmatorii.

Andreae III. Regis.

Andreas Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Crouatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus, praesentes litteras inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire. Quod cum Anno Domini Millesimo — . . . e, et Consensu venerabilium Patrum, Archi-Episcoporum, Episcoporum, Baronum, Procerum, et omnium Nobilium Regni Nostri apud Albam, in loco nostro Cathedrali, annuente Domino fuisset Coronati, et in Regni Gubernaculum successissemus Jure, et ordine Geniturae; habita congregatione Generali, in vo — Nobilium Regni Nostri, a Sanctis Progenitoribus nostris data, et concessa, quae in Articulis exprimentur infrascriptis, inviolabiliter firma fide promisimus observare.

Articulus I.

Quod Rex Ecclesiarum Jura conservare et restituere velit.

Primum videlicet: quod omnia jura Ecclesiarum in Possessionibus, Foris, Tributis, et

aliis, quae Ecclesiis a Sanctis, vel aliis Regibus, Progenitoribus Nostri, sive aliis Incolis Regni nostri data sunt, et concessa conservamus; et omnia integraliter restituemus ab Ecclesiis occupata.

Articulus. 2.


Quod Rex nullum Comitatum alicui in perpetuum collaturus sit.

Item nullum Comitatum Regni Nostri Ecclesiis, vel earum Praelatis, Baronibus, vel Nobilibus alicui, vel aliquibus in perpetuum conferemus; Imitantes in hoc Sanctorum Progenitorum Nostrorum, Regum Illustrium Hungariae vestigia pro modulo, et pro posse.

Articulus. 3.

Quod Rex Publicos in Regno Magistratus, Extraneis, Paganis, ignobilibus, et publicis Potentiariis conferre nolit.

Promittimus etiam, quod dignitates, seu Comitatus Regni Nostri, seu Castra Advenis, vel hospitibus, aut Paganis, vel Ignobilibus, et hys, qui in Regno Nostro nocumenta frequenter intulerunt, nullatenus conferemus. Nec Consiliis Nostri interesse permittemus.



Articulus. 4.

Barones nec suas Dignitates pro pecunia locare, nec vices suas ignobilibus conferre possint.

Nec etiam Barones suas Dignitates in certa quantitate pecuniae locare permittemus. Nec vices suas, sive Judicatus in Parochia, conferri Ignobilibus patiemur.

Articulus. 5.


Citationes fiant penes credibile Testimonium, Comes Curialis iudicet cum quatuor Nobilibus.

Item: Nullus sine Testimonio Capitulum, vel Conventuum ad praesentiam Curialium Comitatum, vel vice Comitatum citari possit. Nec Comes Judicium recipere, aut iudicare praesumat absque quatuor Nobilibus nominatis.

Articulus. 6.

Donationes Belae IV. et Stephani V. in suo vigore permaneant.

Item: Donationes quae per Dominos Belam, et Stephanum Inclytos Reges Hungariae



felicium recordationum — nullatenus revocamus; cum iidem mediante justitia, felici successu, et prospero Regnum Hungariae gubernaverint, et salubri semper consilio fuerint usi.

Articulus 7.


Donationes Ladislai IV. Regis, quae legitime factae fuisse comperientur, valeant.

Nec hoc praetermittimus, quod, quia Dominus Rex Ladislaus frater Noster in aetate tenera fuerat constitutus, et Regnum Hungariae Tartari — frequenter invaserunt, et quorundam Nobilium Regni Nostri Patres, et Fratres in defensione Regni sunt interempti, Donationes pro eorum servitiis meritoriis, per eundem Regem Ladislaum juste, et legitime factas, juxta Consilium Archiepiscoporum, Episcoporum, et Consiliariorum Nostrorum, per Regnum deputatorum conservari faciemus.

Articulus 8.

Collationes indebitae, et injustae Ladislai IV. Regis a festo S. Stephani revocabuntur, Jura Regalia restituentur.

Collationes vero indebitas, et injustas, tempore ipsius Ladislai Regis factas, revocabimus



Consilio eorundem. Hoc tamen expresso, quod Collationes ab ipso Rege Ladislao factas, usque Festum Sancti Regis Stephani nunc venturum, apud eosdem, quibus sunt collatae, faciemus conservari. Exceptis Juribus Regalibus, videlicet Castris, Praediis, Civitatibus hospitibus, et Ud-vornicis, quae nobis omnes, et singuli, si qui habent, vel tenuerunt, reddere, et restituere promiserunt, et etiam assumserunt.

Articulus. 9.


Palatinus, Tavernicus, Vice-Cancellarius, et Judex Curiae, juxta antiquam consuetudinem, ex Consilio Regni per Regem constituentur, salvo Jure Albensis Ecclesiae ad Vice-Cancellariatum.

Item: Palatinum, Magistrum Tavarnicorum nostrorum, Vice-Cancellarium, Judicem Curiae, ex Consilio Nobilium Regni Nostri ex antiqua consuetudine Regni Nostri faciemus. Salvo tamen Jure Albensis Ecclesiae, et Privilegio, quod Albensis Ecclesia Nostra in ipsa Vice-Cancellaria habet, et habere dignoscitur ab antiquo.

Articulus 10.

In Bello Defensivo vel Civili Nobiles, et Saxones penes Regem militare tenentur.

Item: Si aliqua potentia extrinseca ad in-



vadendum Regnum Nostrum venerit, aut aliqua Pars, vel Provincia Regni ab obedientia Regia vel potentia, et Regni se abstraxerit, aut alienare aliquo modo voluerit, Nobiles Regni nostri, et Saxones Transsylvani, prædia tenentes, et more Nobilium se gerentes, nobis astare, et adjuvare nos tenebuntur.

Articulus 11.


In bello offensivo Nobiles nostri pro pecunia Regis exercituare tenebuntur.

Sed si ad occupandum Regnum extrinsecum procedere vellemus, non nisi pecunia, a Majestate nostra erogata, procedere teneantur.

Articulus 12.

Nobiles Regni et Saxones præter Regem cum nullo usquam sine pecunia exercituare tenentur.

Hoc etiam expresso: quod Nobiles Regni nostri, et prædicti Saxones, Regni Transsylvanicae cum nullo Baronum nostrorum coacti, vel invitati super factis, et negotiis Regni nostri intrinsecis, vel extrinsecis, absque nobis, sine pecunia ire teneantur.



Articulus 13.

*Nobiles, et Saxones, ac Populi eorum ab extraordinariis exacti-
nibus immunes sunt.*

Item: Nullam Collectam; vel Acones, aut desumptus super ipsos Nobiles, et Saxones prænotatos, ac Populos eorundem, recipi faciemus. Nec etiam occasione lucri cameræ nostræ, vel aliqua alia ratione exigi volumus ab eisdem.

Articulus 14.

*Cursus Monetae in praesentia Comit-
tis Parochialis, et quatuor bono-
rum hominum instituat.*

Et, si monetam nostram in Regno nostro currere facere voluerimus, de qualibet provin-
cia quatuor boni homines, cum Comite paro-
chiali, ipsam monetam nostram currere faciant
et quambiri.

Articulus 15.

Uterior de moneta dispositio.

Nul - - - ipsi monetæ nostræ in regno
nostro fieri permittemus.

Articulus 16.

Ad Iudicium Palatinale Comes Parochia-



lis cum quatuor iudicibus ire, et ratam suam iudicalem recipere debet.

Item: si Palatinus in Regno nostro ad faciendum iudicium processerit, in qualibet Provincia quatuor Iudices deputari, cum Comite Parochiali ire, et iudicare debeant. Et Jus, quod Comitem Parochialem in Iudiciis contingit, ipsi Comiti debeat plene - - - - - et persolvi-

Articulus 17.


Palatinum, in Iudiciis sinistre procedere volentem, Comes Parochialis, cum suis quatuor hominibus, prohibere debent.

Si vero Palatinus sinistre procedere intenderet, iidem quatuor homines cum Comite ipsorum prohibere, et nobis intimare teneantur.

Articulus 18.

Populi Praelatorum, et Ecclesiarum in causis temporalibus solius Regis Iudicio reservantur.

Item: statuimus, quod Populos Archi-
Episcoporum, Episcoporum, et Ecclesiarum Privilegiatarum, in causis temporalibus nullus iudicum, praeter personam nostram possit iudicare.



Articulus 19.

Nobiles contra, et Populi eorum non subjacent judicio Archi - Episcoporum.

Et quod nullus Judicum Archi - Episcoporum in foris, seu villis prædictorum Archi - Episcoporum Nobiles Regni nostri, et Populos eorundem possit judicare.

Articulus 20.

Hospites Regis, et Reginae Iudicatu Nobilium Regni non subjacent.

Hospites etiam liberarum villarum, Regis scilicet, et Reginae, Nobiles Regni nostri non possint judicare.

Articulus 21.


Arestationes transeuntium prohibentur.

Item: Impignorationes super transeuntes Incolarum Regni nostri penitus nolumus, et fecimus aboleri.

Articulus 22.

Tributa tempore Ladislai Regis inducta tolluntur.

Item: omnia Tributa, tempore Ladislai Regis facta, omnino exstirpentur.



Articulus 23.

*In antiquis tributorum locis non nisi
Exteri Mercatores tributa persol-
vant, Populi autem Nobilium, et
Ecclesiarum immunes sint.*

Volumus etiam, quod in locis antiquorum tributorum, Populi Nobilium, et Ecclesiarum Tributa non persolvant. Sed tantummodo Mercatores, de aliis Regnis, ad alia Regna transeuntes.

Articulus 24.

Fortalitia erecta ubique destruantur.

Præterea turres, seu Castra super Ecclesiis ædificata, aut locys aliis pro nocumento constructa, penitus evellantur.

Articulus 25.


Bona violenter occupata restituantur.

Item: Possessiones, fora, et Castra, quorumcunque, per violentos detentores, indebite occupata, restituantur, et reddantur.

Articulus 26.

Decimas frugum, per Nobiles, et Saxones, ac eorum populos solvendi modus.

Item



Item Decimas frugum, secundum Decreta Sanctorum Regum, solvere teneantur. Ita videlicet, quod quilibet Nobilis, sive Saxo de numero Nobilium, de quolibet aratro, unum fertonem pro decimis solvat. Populi autem ipsorum Nobilium, et Saxonum de singulis capetiis solvant unum pondus. Et Decimator non per se, sed cum homine Parochialis Comitatus dicere debeat. Usque festum Sancti Martini super Juramento Populorum Nobilium ipsæ Decimæ persolvantur. Post ipsum autem festum credatur Decimatorum Juramento.

Articulus. 27.


Decimationis vini modus.

Item Decimæ vini in Autumpno in specie recipiantur cum musto. Si vero tempus novi vini, sive musti in exigendo distulerint, extimatio, sive pretium solvatur pro musto.

Articulus. 28.

*Taxa Expeditionis Literarum
ex Cancellaria.*

Item: Privilegium quod cum Bulla aurea consignatum fuerit, a Cancellario decem marcis argenti redimi debeat, aut marca auri. Si vero sub pendentis sigillo cereo fuerit, a Vice-



Cancellario marca argenti, et a Notario ferto-
tone redimatur.

Articulus. 29.

» Item ---- es, aut ----- duo pond--
----- et de di --- unum pondus -----
» videlicet ----

Articulus. 30.


De servandis Judiciis Regalibus.

» -- personaliter judicabimus ordine judi-
ciario Causas litigantium cognoscentes.

Articulus. 31.

*Congregatio Albae annuè celebranda
pro investigando statu Regni, et
factis majorum Magistratum.*

Item: in quolibet anno semel omnes Ba-
rones, et Nobiles Regni nostri Albam ad Con-
gregationem debeant convenire, ----- de sta-
tu Regni. Et inquirentes de factis Baronum
qualiter quilibet ipsorum, in suis Comitatus
processerint, et conservaverint jura Regni. Et
secundum sua merita, præmia, et demerita, vel
commissa, supplicia ipso die, secundum judi-
cium nostrum, et Consiliariorum nostrorum
recepturi.



Articulus 32.

Deficientibus libera de bonis suis disponendi facultas relinquitur.

Item: concessimus, quod, si quis Nobilium, sive Saxonum prædictorum sine hærede decesserit, possessiones sic decedentis hæreditariæ, emptitiæ, et etiam aquisitæ nullatenus debeant confiscari: sed idem decedens propinquis suis, aut alicui propinquorum, seu uxori vel etiam Ecclesiis, pro remedio animæ suæ, legare in morte, et conferre in vita, cuicumque voluerit, liberam habeat facultatem.

Articulus 33.


Rex, si cui gratiam facere voluerit, læsis Justitiam administrabit.

Item: si qui Nobiles, aut alii nocumenta intulerint, si ex clementia Regia personis eorum parcere oporteat, vel debeamus; querelantibus tamen Justitiam omnimodam faciemus.

Articulus 34.

Malefactores convicti, et fugitivi a nullo protegantur.

Item: si quis malefactorum, coram aliquo Judice convictus, affugerit, nullatenus ipsum re-



cipiemus, nec etiam defensamus. Et similiter per Barones nolumus, nec patiemur defensari.

Articulus 35.

Possiones coactae viribus careant.

Præterea, si aliqui ex ipsis regnicolis nostris vi, vel metu, Possiones suas vendiderunt, aut non vendentes, Instrumenta venditionis, contra se, pro potentibus confici, coacti, fecerunt; si hujusmodi violentia, sive metus, legitime, et rationabiliter constiterit, Instrumenta taliter confecta, sint viribus vacuata, et penitus red -----


Articulus 36.

Extraneus dotalitium et quartalitium non in bonis, sed in pecunia recipiat.

Item: in Possiones — Nobilium, seu Saxorum prædictorum non possit introire extraneus ratione dotis, aut ratione quartæ, filiabus debitæ. Sed hæredes decedentium, vel proximiores de generatione sua, redimant eas secundum extimationem justam Regni nostri consuetam.

Articulus 37.

Causae judicaturæ Comitatus Parochialis subjectæ.



Item: Comes Parochialis ----- Regni nostri ad prædictos Saxones Transylvanos non nisi in tribus articulis, videlicet: furto, vel latrocinio, facto Decimarum, et monetarum debeat judicare.

Articulus. 38.

*Appellatio a Comite Parochiali
ad judicium Regale.*

Item: si aliquis ipsorum per Comitem Parochialem se senserit aggravatum, ipsam causam revocet, et reducat nostri judicii ad -----

Articulus. 39.


Taxa Conjurationum.

----- Cum centum hominibus, infra, vel supra juraverint, non nisi quadraginta denarios purgationis solvere teneantur.

Articulus. 40.

*Possessiones pro maleficiis amissas
cognati redimere possunt.*

Item: si quis Nobilium, vel Saxonum Præfatorum possessiones suas pro suis excessibus, et maleficiis amittere debeat, vel contingat, cognati ipsi, et propinqui possessionem ipsam



redimendi habeant facultatem, ne in possessionibus propriis, et avitis extraneum doleant possessorem.

Articulus 41.

Vajvodae Transylvano, et Bano Slavoniae descensus prohibetur.

Item: volumus, quod Vajvoda Transylvanus, Nobiles, sive Saxones memoratos partis Transylvaniæ et Banus totius Slavoniæ Nobiles partis Dravanæ nullatenus descendere possint, nec ipsos in aliquo indebite aggravare.

Conclusio Diplomatis Confirmatorii Regii.

Ut igitur hæc nostra ordinatio, immo potius a prædecessoribus nostris, Regibus Illustribus Hungariæ primitus observata, robur obtineat, perpetuæ firmitatis, præsentibus concessimus litteras, Duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Discreti viri Magistri Theodori Albensis Ecclesiæ Præpositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, Anno Domini M. CC. Nonagesimo primo, Octavo Kalendas Martii, Regni autem nostri primo anno.

(L. S.)
(pendentis.)

II.

Wladislai I. Regis Hungariæ.

Decretum. III.

A. 1444. *Cum Statibus et Ordinibus Regni Budæ conditum.*


Nos VVladislaus Dei gratia Hungariæ, Poloniae, Dalmatiae, Croatiae, &c. Rex, Lithvaniaeque Princeps supremus, et Haeres Russiae. Ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod quamvis hoc praeterito tempore, quo pravis pravorum ausibus multa, variaeque in Regno isto nocumenta viguere, saepius quaesita sit via, per quam ejusmodi nociturnitatibus, turbinationibus quoque, sed et tot periculis, tot denique dissensionibus, et malorum generibus, quæ pululasse, obrigisse, et effluxisse, jam sub oculis visa sunt, continuatio, et Occasio clauderetur, quia tamen effraenae mentis dissoluta manus cohiberi non facile patitur, quanto mollius, incautiusque conabatur reprimi, tanto diuturnior, malis pejora jungens, perdurabit. Nunc autem cum in dies magis, magisque hujus Regni turbatio succresceret, visum est communi omnium voto, eo celeriori remedio occurrere, quo et amarior tot malorum

dilatio sentiretur; ob hoc post novissimum reditum nostrum ab expeditione exercituali, quam adversus paganos Turcos, felicibus Divino numine potiti triumphis, transegitimus, generali congregatione promulgata convenit, Praelatorum, Baronum, Militum, et Regnicolarum nostrorum in hunc locum multitudo tam magna, qua major vix unquam in simili Congregatione visa fuit, quibus per hos, plures jam dies, in Tractatibus mutuis residentibus, tandem, Domino volente, una nobiscum, pro reintegranda Pace, et concordia mutua, agendaque tutela Regni hujus ad infra scriptos Articulos firmissime, sub poenis infra scriptis observandos devenerunt.

Articulus. 1.

Ut se Regnicolae Regi ad fidelitatem, et obedientiam obligent, neque eo vivente, alium pro Rege Hungariae habeant, et nominent.

Primo: Ut recto ordine a Capite inceptum videatur, statutum est, ut pro ampliori, et validiori potentia, et facultate nostra ad nostros regendos, quilibet Praelatorum, Baronum, Nobilium, et Regni Procerum, nunc hic praesentium, et etiam absentium, qui scilicet sub nomine, et obedientia nostris, se hucusque gesserunt, et gerent, obligentur se nobis per eorum




proprias litteras, sigillis eorum, quibus utuntur, appressis, pro fidelitate observanda, et quod nobis viventibus nullum alium pro Rege Hungariae, praeter nos habebunt, et nominabunt, nobisque in omnem eventum assistent, et adhaerebunt, qui vero pro aliquo Fratre suo, nunc absente responderet, talis frater absens infra unum terminum, per nos sibi deputandum teneatur advenire, modo simili se nobis obligaturus.

Articulus 2.

Quod Rex facultatem habeat, honores, et officiolatus auferendi, et conferendi, quibus maluerit, sed Regnicolis tantum, et tam honores, dignitates, et Officiolatus, quam Camerae Salium, ad arbitrium Regis resignentur.

Item: sicut Praedecessores Reges nostri Hungariae habuerunt, conclusum est, ut in posterum omnimodam facultatem auferendi omnes honores, et officiolatus nostros habeamus toties, quoties, et quandocunque voluerimus, et illis, quibus maluerimus Regnicolis tantum, et non alienigenis, conferre valeamus. Omnisque Dignitarius, et officialis, hujusmodi honores, dignitates, Officiolatus suos, puta: Palatinus, Palatinatum, VVajyoda, VVajvodatum, Ba-



nus, Banatum, Cancellarius, Cancellariatum, Comites, Comitatus, et quoslibet alios honores, et officiolatus, adstatim ad manus nostras Regias resignet, per nos his, quibus voluerimus, distribuendos. Praeterea ordinatum est: Ut Camerae Salium Regalium nostrorum, tam in Partibus Transylvanis, quam Maramarossienibus, sicuti alii Officiolatus, ad manus nostras Regias remittantur, disponen. per nos de eisdem illis, quibus voluerimus.

Articulus. 3.

Quod lucrum Camerae, ac Proventus Mardurinales et Quinquagesimales, velut proventus a Corona Regia inobalienabiles, qui alienati essent, ad Coronam reintegrentur, et de omnium Possessionibus exsolvantur.

Item: Quia lucrum Camerae de dicto Regno nostro Hungariae, Proventus Mardurinarum, de Regno nostro Sclavoniae, et Proventus Quinquagesimales de partibus nostris Transylvanis, communi omnium Regnicolarum nostrorum contributione (*fors constitutione*) pro sustentatione Curiae Regiae, ac defensione Regni agenda instituti, et dispositi fuerant, et nec ab ali-




quo Regum, praedecessorum scilicet nostrorum, iidem proventus a Corona Regia, in toto, vel in parte alienari debere potuissent; idcirco conclusum est, ut hujusmodi proventus alienati, rursus ad Coronam Regni reintegrentur, et, non obstante exemptione qualicunque, aut remissione eorundem, per quemcunque Regium facta, de omnium Possessionibus, puta: tam Nostris regalibus, et Reginalibus quam Ecclesiasticorum, Prælatorum, Baronum, et Procerum Regni, ac aliorum Possessionatorum hominum exsolvantur integre, et sine defectu.

Articulus. 4.

Quod Camerae Saliùm, Fodinae, Urbura, proventus Tricesimales, Civitatum, Cumanorum, Philisteorum. et Judaeorum, velut itidem inalienabiles, Coronae reapplicandi sint.

Item: de Cameris Saliùm, tam Transylvanarum, quam Maromaroßiensium partium, de fodinis, et montanis Urburarum, de proventus tricesimalibus, civitatum, ac Cumanorum, Philistaeorumque, et Judaeorum, conclusum est, puta: ut quia neque nos, neque nostri prædecessores Reges, cuiquam relaxare perpetue, aut pro pignore locare, seu quomodo libet a' Corona alienare potuimus, et potuerunt.




ideo debeant Coronæ reappropriari, et in manibus nostris resignari.

Articulus 5.

Ut bona, et proventus illicite a fidelibus occupati, eisdem remittantur, et quod Rex bona ad fidelitatem redeuntium donata, erga æquivalens recipere, et restituere velit.

Item: conclusum est, quod omnes, et singuli ex Prælati, Baronibus ac Nobilibus Regni nostri universas possessiones, et bona, ac Proventus Decimales, et alios, quæ minus iuste, et illicite aliquis ex eis tenet, seu occupavit, et usurpavit, his disturbiorum temporibus, ab his, qui nobis fideles fuerunt, et partem, seu adhærentiam nostram tenuerunt, eisdem fidelibus nostris remittere, et resignare teneantur, et etiam illa, quæ vos illicite, et minus iuste cuipiam donavimus, remittantur, ac etiam illis, qui usque in præsentem diem venerunt ad fidelitatem nobis, bona eorum, etiam si cuipiam per nos donata fuissent, restituantur, et nos contentemus illos, cui ipsa donaveramus, nunc, vel quocunque modo, aut promittimus, quod successive de his, quæ devolventur ad Coronam, eos contentabimus.



Articulus 6.

Quod etiam illis bona remittenda sint qui usque festum Pentecostes ad fidelitatem redierint, qui autem redire non curaverint, in nota infidelitatis maneant, nec ad gratiam admittantur.

Item: quod illi etiam omnes, qui ex parte alia, nobis adversa, infra festum Pentecostes, proxime venturum, nobis ad fidelitatem venerint, tales etiam sub præacta conclusione quoad restitutionem Bona ipsorum contineantur, sed contententur, ut supra, qui autem usque ad terminum præactum nobis ad fidelitatem venire non curaverint, tales in perpetua nota infidelitatis remaneant, et bona ipsorum his, quibus voluerimus, conferre valeamus, nec amplius iidem ad gratiam admittantur.

Articulus 7.

Quod nullus, praeter Regem, monetam cudi facere, nec ipse cusionem cuiquam indulgere possit, liga vero sine consensu Regnicolarum immutari citra notam infidelitatis nequeat.

Item: quia ex variatione monetæ notabilia, imo indicibilia Regno huic detrimenta provenisse visa sunt, idcirco, ad obviandum hu-

jus modi periculis, statutum est, ut nullus ex Prælatiſ, et Baronibus, aut Regnicoliſ noſtriſ, monetam quamcunq; cudat, nec cudere, vel cudi facere præſumat, et valeat; ſed ſolum noſ, in lociſ, ſeu Cameriſ, ubi ab antiquo moneta cudi ſolita fuit, ipſam monetam cudi faciamuſ, nec noſ habeamuſ facultatem, indulgendi cuiſpiam ipſam cuſionem monetæ ſub qualicunq; colore. Et quod liga ipſiuſ monetæ, in qua cudi inchovabitur, non poſſit per noſ immutari, abſque voluntate, et ſcitu Regnicolarum noſtrorum, contra præmiſſa autem facienſ, notam infidelitatiſ, ſeu falſarii incurret.


Articuluſ 8.

*Centum Denarii, et ducenti obuli
cambiantur pro uno floreno auri.*

Item: Moneta talis cudatur, ut Centum denarii, et ducenti obuli dentur, et cambiantur pro uno floreno auri ſub paena præmiſſa.


Articuluſ 9.

*Illuſ, quibuſ officia majora, vel minora
per Regem collata fuerint, obligabunt ſe,
quod nec ipſi facta potentiaria commit-
tent, nec aliis, ſub ſuo Officiolatu, hac in
parte, permittent, aut connivebunt, ſub*



amissione officii, ad quod se incapaces redderent. Wajvodae, Bani, vel Comites appellationi Causarum in Curiam Regiam deferre, et hujus sententiam exequi teneantur, sub amissionem honoris, et pœna facti potentialis, damnique refusionis.

Item: de factis Potentiariis conclusum est, quod nos ab illo, qui officia majora, vel minora; puta: seu Palatinatum, sive Vajvodatum, vel Judicatum Curiae, aut Comitatum contulimus, vel contulerimus, talem Obligationem recipiamus, quod nec ipse solus injurias, damna, et nocumenta, aut occupationes bonorum faciat, nec fieri per quempiam sub suo officiolatu, et honore consentiat, seu permittat, nec in hac parte alicui faveat. Quod si talis dignitarius, vel Comes hujusmodi facta illicita perpetrasse, vel aliis in faciendo consensisse, aut favorem impendisse, vel patranes non emendasse compertus fuerit, extunc talis mox ipso honore privetur, et privatus intelligatur, nec amplius ad tale Officium recipi, aut promoveri valeat. In Judiciis autem, quae VVajvoda, Banus, vel aliquis Comes in sua Provincia fecerit, cum transmitti ad Curiam nostram petuntur, teneatur semper deferre appellationi,




feu transmissioni in Curiam nostram Regiam, et talis Causa, in Curiam nostram deducta, primo termino, ad quem devenerit, terminetur, et ipse Vajvoda, vel Bánus, five Comes, tandem adjudicationem Curiae nostrae, exequi teneatur. Quod si iidem Vajvoda, Banus, aut Comes, in dispositione praetacta non persistit, aut contra praemissa cuiquam favorem exhibuisse visus, et compertus fuerit, extunc, ultra praemissam privationem honoris sui, in facto Potentiae sit convictus, et quod laesis, et dampnificatis, de propriis eorum bonis, satisfactio impendatur. Praemissa tamen libertatibus antiquis Ecclesiarum non obsistant.

Articulus 10.

Comitatum Communitates eligant quatuor Nobiles, qui cum Comitibus et Judicibus Nobilium, Judicium ministrent, et si ipsi actus Potentiarios commiserint, Judicio Comitatum subjaceant.

Item: in quolibet Comitatu eligantur per Communitatem quatuor probi homines, ex Nobilibus illius Comitatus, penes comitem, et Judicium, qui cum Comite, ac ipsis Judicibus nobilium, ex Communitate querulantibus Judicium ministrent, et dent litteras oportunas, si qui autem ex ipsis electis, actus potentiarios



commiserint, tales Judicio Comitis, et Judicum Nobilium, ac Communitatis subjaceant.

Articulus 11.

De Judiciis in facto possessionum.

Item: Judicia in facto possessionum, fiant juxta Consuetudinem Regni.

Articulus 12.

Castella, et Fortalitia, ex quibus damna inferuntur aboleantur.

Item: omnia fortalitia, et Castella, in parte nostra, ex quibus spolia, nocumenta, exactiones censuum, vulgo hold dictorum, furta, et alia maleficia commissa, et patrata sunt, distrahantur, et aboleantur.

Articulus 13.


Sententiae tempore disturbiorum latae revocentur.

Item: omnia Judicia, et Sententiae, in disturbiiis, praeter illa, quae, ubi partes praesentes fuere, habita sunt, revocentur, et revocata intelligantur.

Articulus 14.

Statutiones de bonis, quorum Donationes revocatae sunt, vigore careant, demtis Donationibus licite factis.

Item: omnes Statutiones, de bonis aliorum



factae, quarum Donationes supra revocatae sunt, vigoribus careant. Deimptis tamen illis, quarum Donationes licite per nos, de propriis nostris, vel devolutis, factae sunt.

Articulus 15.

Nullus Secularium Ecclesias occupatas teneat, vel se intromittat nisi Jure Patronatus fundationali.

Item: quod nullus ex Baronibus, aut Nobilibus secularibus, Ecclesias Episcopales, vel Abbatias, aut Praeposituras, sive alias, quascunque, occupatas teneat; et nec imposterum titulo Gubernationis, aut Jure Patronatus, vel alio quocunque colore, se de hujusmodi Ecclesiis intromittat. Salvo, qui ex Fundatione Jus Patronatus habent.

Articulus 16.


Collectores Taxae pecunias reddant.

Item: quod illi, qui pecunias Taxae anni praeteriti recolletas habuerunt, et pro se retinuerunt, ipsas pecunias reddant, sub paenis praetaetis.

Articulus 17.

Ne in progressu aliquo quisquam in villis, et Oppidis descendens, damna inferat.

Item: quod in progressu Regali nostro, vel



exercituali, vel ad Curiam nostram, aut alia
quaecunque loca nullus Baronum, vel aliorum
in villis, aut Oppidis in quibus descensus faci-
ent, dampna aliqua inferat, nec in domibus
Nobilium descendat.

Articulus 18.

*Qui in descensu damna intulerit, evo-
cetur ad proximam octavam in Curi-
am Regiam, et causa in eodem
termino terminetur.*

Item: quod, si quicumque hujusmodi damp-
na intulerint, et descensum fecerint, tales mox
una evocatoria evocentur in Curiam nostram
ad proximam octavam, et sive compareat evo-
catus, sive non, in eodem termino causa sen-
tentialiter terminetur.

Articulus 19.


De restitutione Jobagionum.

Item: de Restitutionibus Jobagionum, sine
licentia recedentium, teneatur antiqua Conve-
tudo, et paena.

Articulus 20.

*Damna inferentes ad satisfactionem
per Judices compellantur.*

Item: quicumque aliis, de parte nostra, in-
tulerunt dampna, extra servitia nostra, vel Reg-



ni nostri, in domo persistendo, coram Judicibus praefatis, juxta consuetudinem Regni, per dampnificatos in causam attrahi debeant, et per eosdem Judices juxta Judicata ad satisfactionem compellantur.

Articulus 21.


De causis, ratione Possessionum, sub disturbiiis occupatarum, terminandis.

Item: quicumque his disturbiorum temporibus Possessiones aliorum occupaverunt indebite, usque festum Penthecostes, proxime venturum, easdem remittant, quod si non fecerint, evocentur ad proximam octavam, et si ve compareant, si ve non, sententia finalis in eadem octava terminetur.

Articulus 22.

Causae factorum potentiariorum post Decretum anni 1443. commissorum, usque Festum Penthecostes complanentur, aut in proxima Octava determinentur.

De factis autem potentiariis, post pridierum nostrum Decretum commissis, modo simili, usque dictum festum Penthecostes, laesis, et dampnificatis, satisfactio impendatur, quod si non fecerint, similiter ad proximam octavam evocen-



evocentur, et in eadem octava Causa finaliter determinetur.

Articulus 23.

De redemptionibus Literarum, et Solutionibus Testimoniorum.

Item: redemptiones literarum, et solutiones Testimoniorum Capituli, vel Conventus fiant secundum decretum quondam Domini Imperatoris.

Articulus. 24.


Donationes super tributis per Albertum, et Wladislaum factae revocentur.

Item: quod tributa omnia, quæ tam per condam Dominum Albertum Regem, prædecessorem nostrum, quam per nostram majestatem, donata essent, revocentur, et revocata habeantur.

Articulus 25.

Comiti Parochiali prohibetur descensus in Possessionibus Nobilium, et damnorum illatio sub pæna facti potentialis.

Item: Quod Comes Parochialis in possessionibus Nobilium non descendat, et si descenderit, dampna non inferat, quod si fecerit, in



facto Potentiæ convincatur. Demptis solummodo antiquis consuetudinibus, et exactionibus Birsagiorum.

Articulus 26.


Quod quilibet in praesenti Congregatione existens, et citatus, teneatur super patris post Decretum anni elapsi, respondere, secus convincendus.

Item: quicumque Prælatorum, Baronum, et Regni Nobilium, in præsentia nostræ Majestatis personali, aut Palatini, vel Judicis curiæ nostræ, durante præsentis congregatione, repertus, et per quemcunque citatus fuerit, teneatur super patris post Decretum nostrum anni jam elapsi respondere ad objecta; quod si, præsumptione ductus, comparere renuerit, extunc mox sententia contra talem detur, et emanetur.

Articulus. 27.

De causis actuum Potentiariorum.

Item: quicumque Prælatorum, Baronum, et Regni Nobilium, aut aliorum possessionatorum hominum, occupationes possessionum, aut spoliationes, sive Nobilium Captivationes, aut interemptiones, sed alia similia facta, a modo deinceps perpetraverint, tales per hominem no-




strum Regium, præsentè testimonio Capituli, vel Conventus, ad primam octavam, insinuatione evocentur, ipsique patratores hujusmodi actuum potentiariorum, ad ipsam octavam venire teneantur, et ipsis Partibus comparentibus fiat Judicium partes inter easdem, Causaque hujusmodi, nec ab eadem octava per litteras Regias aut per alium quemcunque modum, ulterius differatur. Si vero evocatus non comparuerit, non obstante ipsius absentia, sententia Capitalis, cum amissione Bonorum suorum, contra talem pronuncietur, et emanetur, sententiamque ipsam exequantur tandem, præsentibus hominibus nostris, et Capitularibus, seu conventualibus, si necesse fuerit, Comites Parochiales, et alii præmissò modo deputati, sine omni negligentia.

Articulus. 28.

Causae in ultima octava sub Alberto Rege ventilatae, in eodem Statu assumantur in Octavis festi Beati Jakobi Apostoli.

Item: quod universae Causae, quæ in ultima octava tempore prædicti condam Alberti Regis habitae erant, et vertebantur, in eodem statu, in quo tunc existebant, in octavis festi Beati Jacobi Apostoli, proxime inchoventuri, et verti debeant, juxta antiquam consuetudinem regni.



Articulus. 29.

Quod literae sub disturbiiis è locis authenticis per manus potentum tentis emanatae, cassatae habeantur.

Item: quod tempore istorum disturbiorum quaecunque literæ, sub quacunque forma verborum sub sigillis Capitulorum, vel Conventuum illorum, qui per manus potentum tenti fuissent, emanatæ extitissent, tales cassatæ, et viribus carituræ habeantur.

Articulus. 30.


Ne gentes forenses sub pœna Capitis in Regnum ad inferendum malum inducantur.

Item: quod nullus omnino hominum, gentes forenses, et extraneas, ad hoc Regnum nostrum, causa inferendi malum inducat, sub pœna amissionis capitis, et omnium bonorum suorum.

Articulus. 31.

Nullus privatorum, praeter Consensum Regis cum hostibus treugas ineat.

Item: quod nullus Praelatorum, Baronum, et Regni procerum, praeter censum nostrum



cum quibuscunque hominibus, nobis, et regno nostro adversantibus, treugas inire praesumat.

Articulus 32.

Contra praemissa agentes in paena facti Potentialis convincantur.

Item: quod quicumque in praemissis non perstiterit, et monitus per litteras nostras se non emendaverit, talis ipso facto in paena facti potentialis convincatur.

Articulus 33.

Qui justis, et licitis mandatis Regis non paruerit, in paena facti potentialis convincatur.

Item: quod quicumque mandatis nostris Regiis, licitis tamen, et justis, non paruerit, et monitus se non excusaverit, in simili paena ipso facto convincatur.


Articulus 34.

Quod praemissa omnia Rex observare, et omnibus oportunis mediis, per alios, observari facere velit; sub Furamento, et quod perpetuitates, beneficia, et officiola

ciolatus in Regno alienigenis non conferet, imo collata auferet.

Ut autem iidem nostri fideles subnominati, exinde primum a nobis certitudinem summant, praesentium tenore, et vigore, in verbo nostro Regio, jurejurando promittimus, nos ea omnia, quae in praemissis articulis notificata, et declarata sunt, ex nostra parte, irrefragabiliter observare velle, et tenere, per aliosque, qui forsitan in hac parte rebelles comperti fuerint, cum adiutorio, Consilio, et assistentia ipsorum infranominatorum, fidelium nostrorum, teneri facere, et observari, et quod ad inferendas paenas praetaetas, singulis talibus, qui his praemissis repugnare praesumpserint, toto posse, cum eisdem nostris fidelibus intendamus; et si oportunum fuerit, procedemus, in omnemque eventum eis, in hac parte, indivisibiliter assistemus, faciemusque, et exequemur etiam omnia alia, quae nobis cum eorum consilio in hac re, et circa eam incubuerint facienda.

In quorum omnium praemissorum testimonium, praesentes concessimus litteras, sigilli nostri, quo ut Rex Hungariae utimur appensione munitas. Datum Budae decimo octavo die mensis Aprilis quae est sabbatum proximum post festum Pascae Domini, Anno Ejusdem Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.



Intelligatur etiam Conclusum in praemis-
sis. quod nec perpetuitates, nec beneficia, nec
Officiolatus, sed neque Castellanus alienige-
nis conferamus, immo et collata talibus ab
eisdem auferemus, excepto Episcopatu Tran-
sylvanensi, per nos Domino Mattheo collato.


Haec dispositio facta est per Praelatos,
Barones, Milites, Proceres et Nobiles infra-
scriptos suis, et communitatis totius Regni Hun-
gariae praedicti nominibus, et in personis, non
obstante, si per prius, in quocunque, decreto,
hujus contrarium statutum fuisset. Datum ut
supra.

CONCLUSIO. Et nos Simon de Rozgon
Episcopus Agriensis, Regiae Majestatis sum-
mus Cancellarius, Johannes VVaradiensis, Mat-
hias Vesprimiensis, Petrus Chanadiensis, alter
Petrus Vacziensis, et Demetrius Tinniniensis
Ecclesiarum Episcopi. Georgius Despotus Ras-
ciae, Laurentius de Hedrehvvara Regni Hunga-
riae Palatinus, Nicolaus de VVylak, et Johan-
nes de Hunyad VVayvodae Transylvanienses,
Michael Jakch de Kvvfal, alias similiter VVay-
voda Transylvanensis, Georgius de Rozgon
Judex Curiae Domini Regis, et Comes Posoni-
ensis, Franko Comes Cetinae, Regni Slavonie
Banus, Emericus de Hedrevvara Banus Macho-
viensis, Stephanus de Báthor, alias similiter Ju-
dex Curiae Regiae, Ladislaus de Palovvcz Ma-




gister Curia Domini Regis, Emericus, Ladislaus, et Stephanus, Pelsevz, Johannes de Peren Comes de Ugocha, Simon de dicta Parlovvz, Magister Agazonum Regalium. Michael Orzág de Gvth summus Thesaurarius Domini Regis, Paulus filius Bani de Alsó-lindvva, Henricus filius de Thamassy, Comes de Posega, Johannes Senior de Peren, Simon Zvvdar de Olnod Magister Pincernarum Regalium, Johannes Orzág de prædicta Gvth Magister Tavernicorum Regalium, Stephanus de Homonna, Ladislaus de Zéchen, Comes Nevvgradiensis, Johannes Kompolt de Nána, Ladislaus filius VVajvodæ de Levva, Johannes de Korogh, Stephanus et Demetrius Pohárnok de Berzevvicze, Comites Heveffiensis, Nicolaus, et Paulus de Perén, Ladislaus Rikalf Comes Liphthovviensis, Sylvester de Thorná, Georgius filius Lorandi de Serke, Ladislaus de Naczpál, Nicolaus, et Dominicus de Kisvvarda, Acus de Chap, Ladislaus de Naghmichal, Paulus, et Philippus de Zekchevv, Ladislaus Junior, et Petrus Jakch de Kvvsal, Ladislaus Pethevv, de Gerse Comes Zaladiensis, uterque Johannes dicti Forgach de Gymes, Ruppertus de Tar, Paulus de Hedrevár, Emericus filius Johannis, et Ders filius Bani de Zerdahel, Nicolaus Anthiny de Thapson, Nicolaus filius Lorandi de Berzevvicze, Ni-

5580




colaus de Belthek, Frank de antefata Gvuth
 Georgius Bodó, et Pangratius de Dengeleg, Vi-
 ce-VVayvvoda Transylvanus, Johannes de So-
 mos, Michael de Beel, alter Michael de Czil,
 Ladislaus de Zentmichal, Georgius Arras, Dé-
 metrius de Pán, Ladislaus de Thold, Petrus Zo-
 pa, alter Petrus Thvzv de Lak, Michael Etre, Ni-
 colaus filius Drag, Ladislaus Thitevvs, de Bak-
 monoftra, Ladislaus de Zeche, Andreas de Anvval,
 Thomas Sirke, Sandrinus de Helymba, Simon de
 Bodogazzonfalva, Michael Pohárnok, Georgi-
 us de Sebes, Johannes Zana, alter Johannes de
 Sólág, Michael de Izmen, Path de Gyvvla, Mic-
 hael Póch, Johannes de Calovv, Nicolaus de Zo-
 kol, Petrus de Pyra, Nicolaus Zobonya, Andreas
 de Kozár, Ladislaus de Maróth, pridem Banus
 Machoviensis, Raphael Hertzeg, Electus Eccle-
 siæ Bosnensis, Michael Abbas Simigiensis, Cle-
 mens de Thapan, Sebastianus de Zend, Nicolaus
 de Zenthmichal, Michael de Filpes, Briccius de
 Gich, Nicolaus Nyakatlan de Thytes, Georgius
 Ormos, de Seryen, Johannes, et Thomas, filii
 Ipolitii de Gyvrke, Petrus de Therétlen, Ste-
 phanus Danch, de Maczadonya, Georgius de
 Máryás, Thomás Chirke de Poli, Gyvvla de
 Ráthold, Georgius de Zenth — Jánus, Bernar-
 dus de Dengeleg, Johannes de Apay, Nicolaus
 Kvvv, de Kefsényvv, Johannes de Zepes, Ladis-
 laus de Miske, Stephanus Bayan, Nicolaus de



Ozgyan, Petrus de Pap, Johannes de Yna, Ladislaus filius Mathei de Menche, Johannes de Chan Colomannus de Bevvreth, Paulus Paznan, Daniel de Kvvstal, Ladislaus, de Poka, Ladislaus de Thethéhlen, Ladislaus de Horth, Georgius, Petrus de Hangal, Stephanus de Janusy, Michael Bárócz de VVislas, Martinus Præpositus de Posega, Michael de Gench, Johannes filius Stephani de Zentmichal, Georgius de Rathan, Nicolaus de Zombor, Gregorius JÓ'sa de Galya, Ladislaus de Chepan, Georgius de Gergerlaka, Ladislaus de Somos, alter Ladislaus de Rohman, Ladislaus de Zelemér, Gáspár de VVere, Simon de Hvvrhicznia, et Mathias de Chyzik, de Regno Croatiae, Demetrius de Thapaz Georgius de Megiemeczia, Egidius de Peder, Johannes de Zytha, Ladislaus literatus de Pethke, Albertus Literatus de Zenth-Márton Johannes de Barketha, Sandrinus de Kevvde, Mathias de eadem, Stephanus de Dombó, Andreas de Ztanch, Sebastianus de Kolan, Ladislaus Gagan de Gyvvrky, Ladislaus Hernad de Hernadfalva, Michael de Monak, Macheus Thofevv, Nicolaus de Alak, Jakobus de Pelys, Andreas de Lukafalva, Petrus Fanch de Gardovva, Laurentius de Kээр, Jacobus de Lezthemér, VVincentius de Rvvzka, Ladislaus de Irssa, Stephanus de Laczk, Ladislaus filius Abra-




hæ de Gerla, Nicolaus filius Petri de Zenthlélek, Dyonisius de Zecch, Blasius de Bevvren, Ladislaus de Miske, Elias de Keeskér, Nicolaus de VVaryas, Georgius Orzág de Gvvth, Markus de Nadan, Ladislaus de Monoflor, Georgius de VViczká, Gaspar, et Georgius de Hathma, Benedictus de Likvva, Bartholomæus Abbas de Borsmonoftra, Georgius Præpositus Zepuziensis, Stephanus filius Georgii de Thelekes, Michael Altzthalnok de Herman, Benedictus de Zempes, Sigismundus de Chap, Benedictus de Beken, Laurentius de Chegeth, Ladislaus de Bolyan, Petrus de Kemend, Petrus de Berenthevv, Benedictus de Vámos, Ladislaus de Nitrazeg, Georgius de Domanhida, Johannes de Lizka, Jacobus de Ripak, Osvvaldus Feyér, Jacobus de Chepel, Dyonisius de Vág, Johannes Bak de Berend, VValentinus de Makofalva, Blasius de Dobo, Martinus de Pethenye, M. Johannes filius Viti de Mohora, Johannes de Calna, Laurentius de Kallo, Paulus de Zerдахel, Georgius de Báthor, Johannes de Vask, Clemens de Kezy, Andreas de Jacabfalva, Johannes Kevvthevv de Kethegyan, Andreas de Kohár, Ladislaus de Veffen, Petrus Basky, Zorardus de Zenther'sébeth, et Ladislaus de Thapolovvcz; cæterique Proceres, et Regni Nobiles, in præfenti Congregatione constituti fatemur omnia, et singula superius descripta, quoad om-



nes eorum articulos, de nostro communi consilio, deliberatione, et consensu, acta, et conclusa fuisse, et esse, et propter hoc ea omnia, quæ superius describuntur, promittimus bona fide inviolabiliter observare, et per alios, qui his præmissis, in parte, vel in toto contraire vellent, omni modo, et via opportunis, totis viribus, observari facere, præsentium, quibus juxta sigillum Regale Sigilla nostra appensa sunt, testimonio mediante.

Datum ut supra.

(L. S.)
(Regii impressi.)



III.


Mathiae I.

Decretum.

In Congregatione Generali in Tholnavar Anno 1463. celebrata editum.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, &c. Notum facimus tenore præsentium quibus expedit universis. Quod constitutis nobis una cum fidelibus nostris Prælati, Baronibus, et Nobilibus Regni nostri Hungariæ, et partium eidem subjectarum, in præfenti Congregatione Generali eorundem, In oppido Tholnavar per nos indicta, ac de utilitate et bono Statu ejusdem Regni nostri tractantibus, iidem Praelati, Barones, et Nobiles, post habitos plurimos tractatus. exhibuerunt quosdam Articulos, concorditer per eosdem conclusos, supplicantes, ut eosdem ratos habere, et eisdem nostrum Regium consensum præbere dignaremur. Qui articuli sequuntur et sunt isti;



Articulus 1.

EXORDIUM. Nos Praelati, Barones, et Nobiles, Regni Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, et partium Transylvanarum. In praesenti congregatione nostra per serenissimum Principem Dominum Mathiam Regem Hungariae &c. Dominum nostrum gratiosissimum indictam constituti considerantes periculosum statum nostrum et continuas turbationes quas partim ex continua invasione Turcorum et aliis ex causis de infra scriptis articulis concordavimus.

*Levetur Exercitus Generalis
contra Turcos.*

Primo: Quod fiat Generalis exercitus, pro defensione nostra contra Turcos, in quo dictus Dominus noster Rex personaliter, una nobiscum, debeat interesse, modo infra scripto.

Articulus 2.

*Clavis secundum quam quisque
obligatus est Insurgere.*

Item: quod Nobiles unius sessionis, et nobiles qui ab uno, usque ad decem Jobagiones habent, in hoc exercitu per singula capita, Nobiles vero, ultra decem, usque ad viginti Jobagiones habentes, unum equitem, et a vigin-



ti, usque ad triginta Jobagiones habentes, duos equites, et ita consequenter, secum exercitantes ducere debeant, et teneantur, ita quod de singulis decem Jobagionibus, unum equitem secum ducere debeant. Prælati etiam, et Barones de singulis decem Jobagionibus secundum numerum portarum, unum equitem secum ducant, vel mittant, sicuti Nobiles.

Articulus 3.


Rex de proventibus Regalibus ducat gentes ad exercitum quam plurrimas.

Item: quod Dominus Rex, de suis proventibus regalibus, ducat gentes suas ad hunc exercitum, in copia, qua fieri poterit majori. Et insuper omnes Civitates, oppida, et villæ, Regales et Reginales, et Genitricis Domini nostri Regis, ad præsentem exercitum debeant connumerari, et in exercitum duci per Dominum Regem.

Articulus 4.

Exercitatio Ecclesiasticorum decimas habentium.

Item: quod omnes Prælati, Archi-Episcopi scilicet, et Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi, et Capitula, decimas habentes, cum



eorum Banderiis, vel numero lancearum, et de possessionibus ipsorum, juxta modum prædictum, exercituare debeant, et teneantur.

Articulus 5.

Nullus Baro, vel Nobilis ab exemptione exemptionem habeat.

Item: quod nullus Baro, vel Nobilis, antiqua, vel deinceps impetranda, Regia exemptione, ab isto exercitu se valeat habere supportatum.


Articulus 6.

Qui ob aetatem, vel statum corporis, inhabiles ad personaliter exercituandum sunt, substituant alios.

Item: pueri, senes, debiles, et viduæ mittant exercituantes de Jobagionibus suis modo suprascripto. Senescali etiam, pincernæ, et dapiferi, qui coram consortibus Baronum et Potiorum Nobilium, juxta antiquam consuetudinem, supportati sunt, mittant exercituantes de ipsorum Jobagionibus modo suprascripto.

Articulus 7.

Nobiles, in Castris aliorum, pro cu-



stodia remanentes, et supportati, mittant pro se substitutos, et a bonis statuunt.

Item: in singulis Castris, sub nomine unius Domini, unus tantummodo Castellanus, a præsentis exercitu supportatus habeatur. Et iste Castellanus, in majoribus Castris, et finitimis, possit habere secum tres, vel quatuor nobiles, juxta limitationem Comitum, et electi nobilibus, ad hoc deputati, qui tamen Castellanus, et Nobiles mittant pro se, et de Jobagionibus ipsorum, more aliorum Nobilium.

Articulus. 8.


Comites, vel Vice-Comites, cum eligendo Nobilibus, sint levatores exercitus Cottus.

Item: levatores hujus exercitus sint Comites, vel Vice-Comites, penes quos eligatur unus Nobilis illius Comitatus, per universitatem Nobilium Comitatus hujusmodi.

Articulus. 9.

Exercituatio Regnicolarum duret per tres menses.

Item: quod hujusmodi exercitus, incipiendo a tempore festi Penthecostes, duret infra tres menses.



Articulus. 10.


Exercituantes partium Inferiorum, in ipso festo Pentecostes, superiorum, infra decimum quintum diem ejusdem, constituentur circa Kyspéterváradya.

Item: quod omnes exercituantes partium inferiorum, constituentur in ipso festo Pentecostes in villa Kyspéterváradya, et locis eidem circumjacentibus, Nobiles vero partium superiorum; qui remotiores sunt, infra quindecim dies dicti festi Pentecostes, ibidem constitui debeant, et teneantur.

Articulus 11.

Pro exercituatione deserviat connumeratio subsidii sed loca desolata connumerentur.

Item: quod super hujusmodi exercituatione, ad numerum prædictum facienda, non fiat nova connumeratio, (sed) universi debeant exercituare secundum numerum connumerationis contributionis unius floreni auri, demtis illis locis, qui in ipsa contributione connumerati non essent, vel de quibus post connumerationem, Turci homines abduxissent, ubi per Comitem, et hominem Domini Regis, fiat no-



va connumeratio, et exercituandum fit juxta numerum portarum inventarum.

Articulus 12.

Comitatus numerum sessionum eorum, qui gentes per se tenebunt, Capitaneo rescribat.

Item: Nobilis, centum portas Jobagionales habens, debeat habere pro armis loricam, cum collario, et cassidem, pectorale, clypeum, et lanceam, et habeat secum duos familiares suos cum loricis, collariis, cassidibus lanceis et Clypeis; Nobilis vero, octoaginta, sexaginta, vel quinquaginta Jobagiones habens, habeat loricam, collarium, cassidem, pectorale, et lanceam pro se, famulos autem suos ducat secum, prout melius poterit.

Articulus 13.

Exercitantes in domibus sacerdotum, et Nobilium non descendant, nec ulli damna inferant.


Item: nullus exercitantium in Domibus seu Curiis Sacerdotum, et Nobilium descendere, aut aliquas res, seu victualia, de eisdem, aut Ecclesiis violenter accipere, nec aliquid dampni populis Jobagionalibus inferre audeat. Si quis autem, contra formam hujusmodi Staⁿ

tutionis, in domibus Sacerdotum, et Nobilium descenderit, aut aliquid de eorum propriis domibus, vel ecclesiis, violenter abstulerit, et id Nobiles cum eorum vicinis et commetaneis, in ipso exercitu, coram Capitaneo Exercitus, vel ejusdem homine, ad id deputando, comprobare potuerint, talis nobilis violentus capite plectatur; idque Dominus Rex vel Capitaneus suus executioni demandare teneatur; de dampnis vero, Jobagionibus talis Nobilis illatis, ipsi Nobiles, vel Officiales sui, recipiant Juramentum a Jobagionibus dampnificatis, coram uno Judice Nobilium, vel commetaneis, juxta numerum dampnorum eis illatorum, super quantitate dampnorum, et tandem ipse Nobilis, vel Officialis, sola sua in persona, seu cunctis dampnis illatis, coram Capitaneo, vel homine ipsius, Sacramentum præstare debeat, quo præstito, ipse Capitaneus, de bonis, et rebus illorum, qui dampna intulerunt in eodem exercitu, dampnificatis plenam satisfactionem impendere teneatur.

Articulus 14.

Exercitus Regni levetur simul, non separatim, vel particulariter.

Item: quod hunc exercitum levet Dominus Rex simul et semel, et non separatim, aut



particulariter, faciatque illum exercituare, tribus mensibus, pro utilitate Regni sui.

Articulus 15.

Fratrū indivisorū unus tantum exercituare teneatur.

Item: ex pluribus Fratribus in uno pane viventibus, unus pro aliis exercituare possit, et alii sint supportati.


Articulus 16.

Nobiles, in diversis Comitatus Jobagiones habentes, ex omnibus ad unum Comitatum Statuant.

Item: Nobilis in duobus Comitatus Jobagiones habens, equites secundum numerum Jobagionum suorum, exercituare debentes, secum ducere possit, hujusmodi tamen equites, de aliis Comitatus venire debeant cum litteris Comitatus, vel Vice-Comitatus illius Comitatus, quarum vigore appareat debitus numerus eorundem. Et si aliqui aliquam possessionem suam, in aliquo Comitatu existentem, denegarent, et de eisdem exercitantes secum non ducerent, puniantur modo infra scripto.

Articulus 17.

Durante exercitacione, Jobagio-



nes, sub pœna homagii eorum, non abducantur.

Item: ab emanatione præsentis constitutionis, usque ad quintumdecimum diem, descensus præsentis exercitus, jobagiones per quempiam non abducantur sub pœna homagii, Jobagionis abducti, cujus homagii duas partes recipiat Comes illius Comitatus, tertia vero cedat Domino Jobagionis abducti, et abductus Jobagio restituatur per Comitem priori domino, etsi qui fortasse potentes non obediunt, in facto potentia convincantur.

Articulus 18.


Ad hujusmodi exercituationem Regnicolae deinceps non obligentur.

Item: Ad hujusmodi vero exercituationem deinceps non sumus aliquomodo obligati.

Articulus 19.

Si Rex, Prælati, et Barones, non exercituaverint nec Nobiles tenentur.

Et similiter si Dominus noster Rex personaliter cum Baronibus suis hujusmodi exercitui interesse, et Banderia sua, de suis proventibus, ac Prælati de eorum decimis, non leva-



verint Dominus Rex ac Prælati, et Barones de eorum bonis, præmissis modo, exercituare noluerint, neque nos Regnicolæ, præter formam antiquæ libertatis nostræ exercituare teneamur, neque compellamur.

Articulus 20.


*Exercituare recusantes, in duplo
necessariarum ad id expen-
sarum convincantur.*

Item: si prælati, vel Barones, vel Nobiles, modo præmissis exercituare recusaverint, ex tunc recusantes in duplo earum expensarum, quas in ipso exercitu facturi erant, convincantur, et Dominus noster Rex occupare faciat pro hac summa possessiones hujusmodi recusantium, et occupatas tenere faciat tamdiu, quousque de hujusmodi pæna, suæ Majestati fuerit satisfactum, et si aliquis hujusmodi occupationi non obediverit, idque evidenter constiterit, infidelitatis notam incurrat.

Articulus 21.

*Occupatores bonorum post electionem
Mathiæ evocentur brevi
in præsentiam Regis.*

Item: si aliquæ occupationes, a tempore




electionis dicti Domini nostri Mathiæ Regis, per quoscunque factæ fuissent, occupatores moneantur, ut remittant, quod si facere recu-
faverint, evocentur brevi evocatione, cum in-
sinuatione, ad tricesimum secundum diem, in
personalem præsentiam Regiæ Majestatis, ubi-
cunque eadem protunc in Regno suo fuerit
constituta, fiatque judicium, et justitia, juxta
formam hujusmodi brevis evocationis; remque
judicatam faciat Dominus noster Rex debitæ
executioni demandare. Sed ex isto Articulo bre-
vis evocationis, Magnificos Nicolaum de VVylak
Vayvodam Transylvanum &c. Johannem, et
Sigismundum Comites de Boxyn, ac Perthol-
dum Elderboh de Monyarokerék certis et ra-
tionabilibus ex causis, optamus habere sup-
portatos.

Articulus 22.

*Evocationes breves in quibus casi-
bus, et quomodo factæ, locum habeant.*

Item: in aliis casibus breves evocationes
dantur, solummodo in articulis, in decreto
circa festum Beati Marci Evvangelistæ, proxi-
me præteritum, Budæ edito, expressatis, et hu-
jusmodi evocationes fiant tantummodo per
Capitulum, et Conventum, et a possessione
illius Comitatus, ubi habitat Nobilis evocan-
e 2 dus,



du, alias evocatio et processus exinde secuti non sint vigorosi,

Articulus 23.

Soli Protonotarii causas brevium evocationum judicare non valeant.

Item: unus Prothonotarius, vel duo, absque Praelatis, et Baronibus, vel hominibus, quos iidem in ipsorum personis deputaverint, causas hujusmodi brevium evocationum adjudicare non possit neque valeant.

Articulus 24.

Judices Ordinarii causas proprias in sua, vel Protonotariorum suorum, praesentia, prosequi non valeant.

Item: iudices ordinarii quicumque, in propriis eorum praesentis, aut suorum Prothonotariorum, causas eorum proprias prosequi non valeant, neque possint, prout antiqua consuetudo Regni requirit.

Articulus 25.

Post descensum exercitus octavae celebrentur,

Item: quod octavae celebrentur post descensum praesentis exercitus.



Articulus 26.


*Sententiae, in casibus brevium
Evocationum, contra decre-
tum latae, revideantur.*

Item: quia in praedicto Decreto expressi fuerunt articuli, in quibus breves evocationes fieri possint, ideo statuimus, ut si aliquae sententiae, post editionem dicti decreti, contra formam ejusdem, vigore brevis evocationis, latae fuissent, de novo revideantur, et si ritè latae sunt, bene quidem, alioquin de novo adjudicentur.

Articulus 27.

*Rex qualem monetam cudi fa-
ciat, et praeter hanc nulla in
Regno cursum habeat.*

Item: optamus, ut Dominus noster Rex, pro-ut consensit, faciat cudere unam novam mone-
tam, bonam et durabilem, cujus centum dena-
rii, oboli vero ducenti, valeant unum florenum
auri, quae moneta cursum habeat per totum
Regnum Hungariae et partes eidem subjectas,
nullaque alia moneta quaecunque cursum habe-
re possit; et recipiatur in omnibus locis, et si



in aliqua possessione, cujuscunque Praelati, vel Baronis, vel Nobilis, ipsa moneta non recipere-
retur, Dominus Rex eandem possessionem oc-
cupare faciat.

Articulus 28.

*Rex nulli concedat faculta-
tem monetam cudendi.*

Item: quod Dominus noster Rex nulli an-
nuat, ut hanc monetam cudere possit, sed so-
lummodo sua Majestas cudere faciat, in locis
ab antiquo consuetis. Si autem aliquibus sua
Majestas usionem monetarum concessisset, re-
vocet, ut non teneat annuentia hujusmodi.


Articulus 29.

*Cusores, et delatores falsarum
monetarum puniantur.*

Item: Cusores, et delatores falsarum mo-
netarum puniat Dominus Noster Rex, poe-
na debita, secundum antiquam consuetudi-
nem Regni sui.

Conclusio.

Qui quidem articuli, quia nobis utiles vi-
si sunt, eosdem ratos habuimus, et habemus,
eisdemque consentimus, et observari volumus
inconcusse; harum nostrarum vigore, et testi-
monio literarum mediante. Datum in Oppido




Tholnavár praedicto, feria tertià, proxima
post Dominicam Judica, Anno Domini Mille-
simo, quadringentesimo, sexagesimo, tertio.


(L S) IV.
impressi.

*Constitutio Regnicolarum Hungariae
in Diaeta Budensi festi S. Georgii An-
no 1511. celebrata, condita, qua sub ob-
ligaminibus promittunt, a singulis Por-
tis 100. Denarios pro restauratione et
conservatione Castrorum finitimorum, et
20. Denarios Regiae Majestati in rata
medietate intra duos sequentes annos si-
ne defectu, et difficultate, ac detracta
salariali exsolvendos.*

Nos Praelati, et Barones, ceterique Proce-
res Regni Hungariae recognoscimus per prae-
sentes: Quod quia nos cum universitate No-
bilibum, et Regnicolarum hujus Regni, fratri-
bus scilicet, et amicis nostris, in praesenti Con-
gregatione Generali, pro festo Beati Georgii
Martyris proxime praeterito, de Regio edicto
celebrata, ad necessitates, et conservationes, ac
restauraciones castrorum finitimorum, de sin-
gulis Portis Jobagionum nostrorum, singulos
centum Denarios, quinquaginta videlicet eo-




rundem anno praesenti, reliquos vero singulos quinquaginta Denarios, anno proxime affuturo persolvendos; Praeterea Regiae Majestati, Domino nostro gratiosissimo, similiter de singulis portis bonorum nostrorum, et eorundem Nobilium, singulos viginti denareos, lucram scilicet Camerae Regiae, simul cum dictis Lata denariis connumerandis, per biennium, et usque ad futuram proximam diaetam festi Beati Georgii martyris, juxta formam Decreti, in tertia videlicet annuali revolutione celebrandam, dare ultro obtulimus: ut igitur ejusmodi subsidium, seu contributio, sed et ipsi viginti denarii, ab omnibus, hoc est, tam a nobis, et de bonis nostris, quam etiam ab ipsis Dominis Nobilibus, Regnicolis, et Bonis eorundem, integre, et plenarie, ac absque ulla discipatione, et surreptione exolvantur, nos promittimus, prout et Idem Nobiles nobis coram Regia Majestate promiserunt, et litteras superinde daturus polliciti sunt, sub amissione fidei, honoris, humanitatisque, et omnium bonorum nostrorum, et assummi hujusmodi subsidium centum denariorum, sed et dictos viginti denarios, pro Regia, Majestate, de singulis Portis Jobagionum nostrorum, prout connumerati fuerint, in medium eorundem Regnicolarum, ad easdem necessitates conservationesque, et restorationes Castrorum finitimo-



rum plenarie, et sine omni defectu, absque omni difficultate, et renitentia aliquali exolvere, et exolvi facere, neque eosdem singulos *Centum denarios*, sed neque prædictos viginti denarios pro sallario, aut pro debitis, vel aliqua alia occasione exquisita, nobis ———— manibus Thesaurarii ad rationem hujusmodi Sallarii, aut debiti, aut aliam ob causam rehabere, et excipere volumus, et ipsi ———— quoque sub pænis præmissis promittimus, quod illos etiam Dominos et Nobiles, qui præfenti Diætæ non interessent, et præmissæ (*constitutioni consentire*) nollent, aut non curarent ad hujusmodi solutionem, per præmissas pænas, oneraque, et obligamina, ac etiam occupationes bonorum ipsorum - - - - - artare, et compellere volumus. Ubi vero aliqui ex nobis præscriptum subsidium in medium ipsorum Regnicolarum, Regiæ vero Majestati dictos viginti denarios non exolverent quovis modo, extunc, si tales Prælati essent, Beneficia, et bona eorum universa, si vero Barones fierent, universa Bona eorum, tamquam infidelium, ac fidefragorum, et honoris amissorum, Regia Majestas, cuicumque maluerit, liberam conferendi habeat facultatem, debeatque conferre, et teneatur. Præmissam autem ordinationem, et vigorem præsentium litterarum,

f

rum,




rum solummodo usque ad dictam futuram
 Diætam durare volumus, Præsentes vero lite-
 ras nostras Promissionales, præfati Domini No-
 biles, et Regnicolæ, expleto prædicto biennio,
 nobis ex omnibus Comitatibus in specie red-
 dere teneantur. Vice versa nos litteras quo-
 que ipsorum, quibus nobis similiter promise-
 runt, eisdem reddere teneamur. In cuius rei
 testimonium præsentis litteras nostras, sigillis
 nostris consuetis consignatas, duximus conce-
 dendas. Datum Budæ Sabbato Proximo Post fe-
 stum beati Johannis ante Portam Latinam, anno
 Domini Millesimo, quingentesimo, undecimo.

V. Loca triginta sex Sigillorum.

*Praelatorum, et Baronum Cautionales
 penes Mathiam I. Regem, in Diaeta
 Anno 1462. Regnicolis datae, quod idem
 Rex eos ad contributionem unius flo-
 reni deinceps cogere nolit.*

Nos Dionysius Cardinalis, Archi-Episcopus
 Ecclesiae Strigoniensis, Sumpnus Cancellarius
 Regius Stephanus Archi-Episcopus Colocensis,
 locique ejusdem Comes perpetuus, Ladislaus
 Agriensis, Johannes Varadiensis, Albertus Vves-
 primiensis, locique ejusdem Comes perpetu-
 us, Augustinus Jauriensis locique ejusdem Co-
 mes perpetuus, Johannes Quinque — Ecclesi-



ensis, et Urbanus Sirimiensis Ecclesiarum Episcopi, Nicolaus Bodo Praepositus Ecclesiae Albenfis Secretarius Cancellarius Regius, Item Michael Orsagh de Gvuth Regni Hungariae Palatinus, Nicolaus de Vylak VVayvoda Transylvanensis, ac Machoviensis, et Regni Sclavoniae Banus. Comes Ladislaus de Palocz Judex Curiae Regiae, Johannes de Rosgon Thavarnicorum Regalium, Emericus de Hedervvara Janitorum Regalium Magistri, Ladislaus de Kanisa, pridem Vayvoda Transylvanensis, Emericus de Zapolya Sumpmus Thesaurarius Regiae Majestatis, Nicolaus de Dombro Regnorum Dalmatiae et Croatiae Banus, Stephanus de Peren, et Ladislaus de Bathor Dapiferorum, Symon de Homonna, et Andreas Pangratii de Dengelegh Pincernarum Regalium Magistri, Paulus de Dombo Agazonum Regalium Magister, Jacobus Chudar de Olnod, Nicolaus Pethev de Gerse Comes Comitatus Zaladiensis, Paulus, et Nicolaus Herczegh de Zeukcev, Andreas de Bathor, et Emericus de Kanisa: notum facimus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod quia nos pro redemptione sacrae ejusdem Regni Coronae in hac congregatione nostra generali, unanimi omnium Nobilium Regnicolarum voluntate, contributionem unius, floreni auri pro hac vice exolven-



dam disposuimus, promisitquæ præterea nobis, et omnibus Regnicolis hujus Regni Serenissimus princeps Dominus Mathias Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Dominus noster gratiosissimus, ut nullo unquam tempore ad solutionem alicujus contributionis nos, et ipsos regnicolas coarctabit, non astringet, nec recipiet, sed neque petet: sed magis in omnibus antiquis libertatibus, et gratiis, quibus scilicet prædecessores sui Reges nos, et dictum Regnum tenuerunt, realiter tenebit, Ideo nos, unanimi omnium voluntate, pro præfato Domino nostro Mathia Rege fidem jubemus, et promittimus in verbo veritatis ac bona fide Christiana nostra, penes præfatum Dominum nostrum Regem, ut ipse, a modo deinceps, nullo unquam tempore, nos, et dictos Regnicolas, ad solutionem alicujus contributionis compellet, nec astringet, sed omnia præmissa efficaciter observabit. Nos vero nunquam dabimus aliquam contributionem, nec recipere permittemus: harum nostrarum vigore, et testimonio literarum mediante. Datum Budæ Sabbato proximo post festum Ascensionis Domini Anno ejusdem Millesimo, quadringentesimo, Sexagesimo secundo.

(*Loca sedecim sigillorum.*)



0,01